



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Pacis Westphalicæ Publica**

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Monath April, biß zu Ende des Jahrs 1646.  
zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen  
Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs  
Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt  
worden

**Meiern, Johann Gottfried von**

**Hannover, 1735**

**VD18 90103122**

Epistola IV. Ioanni Frischmanno Viro Amplissimo Collegæ Meo S. P. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52163)

## EPISTOLA IV.

IOANNI FRISCHMANNO VIRO AMPLISSIMO COLLEGÆ MEO S. P. D.

Nisi Juno mea cum tua Venere Lucinæ sacris operata, certiori auspicio hoc est validioribus nixa argumentis tibi prolem, quam ego Pacem, prædixi. Profecto non adhuc in vado res est: & utraque spes decollare poterit. Vidisti ex plerisque meis literis, quam testitudine gradu procedat hoc pacificationis negotium. Quanquam ferenda esset mora, quæ modo certa conficiendæ tandem rei spe se interea sustentare posset. Ego semper in conventionione Gallorum cum Cæsare, plurimum momenti esse ad reliqua perficienda judicavi. Ex ea nihil adhuc mutatum. Maneat, quæ simul placuerunt; Batavorum cum Hispanis & horum cum Gallis concordiam, ut nuper ex Volmari ore scripsi, pro confecta habent Cæsarei; sed ut verum fatear, valde vereor, ne nimia credulitate sibi ipsis imponent. Comperit enim, Suecos paci adversos, bellum malle. Galli firmandæ sibi Alfatæ pacem necessariam non ignorant. Suecorum præterea potentiam suspectam habentes & vix ultra ferentes arrogantem & imperiosam societatem, pace exarmandam ipsi judicant. At retrahunt splendidi & pene portentosi, felicitum armorum successus & majorum spes, & nunquam reditura Belgii occupandi occasio. Certe redintegrata in Galliis tributorum acerbitas, & nihil non hic tentatum, ne Batavi cum Hispanis transigant, Pacis argumenta non sunt.

Tetrastichon in Gallos quod misisti, suo sale placuit. Et nescias in hoc Deorum Concilio etiam Musis locum esse, sed procacibus illis, petulantibus, inverecundis; en hexastichon ejusmodi argumenti, pari licentia à quodam è Hispaniensi factione scriptum, redhostio:

Gallia vult Pacem: turbas tamen undique & arma  
 Fœdera que in bellum continuanda ciet.  
 Gallia vult Pacem: litesque ex lite recudit,  
 Hoc est in media quarere nocte diem.  
 Gallia vult Pacem: sed bellis implicat Orbem.  
 Gallia da Pacem, vel dare velle nega.

Vale & me ama. Monasterii Cal. Decemb. Anno Chr. MDC XLVI.

## EPISTOLA V.

SCIPIONI SCALIGERO EQUI TI S. P. D.

Postquam ita jubes, Illustrissime Scaliger, pertexam, quam orsus sum, telam,  
 Et parere decet jussis, & grata jubentur.

Ex superioribus meis intellexisti, Cæsareanis cum Gallis convenisse, & Belgarum Fœderatorum cum Hispano negotium pro confecto haberi. Restabat igitur ad Pacis complementum, ut & Suecis satisfieret, & Imperii Ordines licibus finem imponerent, & Hispani cum Gallis transigerent. Nam ad hos tres articulos reducere soleo, quæ adhuc componenda supersunt, sepositis, quæ Carolum Lotharingum, Hassiæ Landgravium aliosque minorum gentium Deos concernunt, ut quæ sola Paci obstare nequeant. Fuere tria ista capita primum aggressis ardua variisque difficultatum nexibus prope in-

acces-